

assensum, quo intellectus credat Deum existere, esse veracem, habere auctoritatem; sicut etiam in humanis usu venit, ubi si quis testetur se non aut nunquam mentiri, et aliunde notam habeat ipsius veracitatem ex illius probitate, possum hoc ipsum prudenter credere, quia ipse dicit. Atque hoc potiori jure tenet in fide divina, ubi ex parte voluntatis dantur plura motiva rationabilia ad imperandum etiam circa res notissimas assensum fidei; qualia sunt 1<sup>o</sup>. ut subjiciam Deo intellectum; 2<sup>o</sup>. ut ipsi, fidem præcipienti, obediam; 3<sup>o</sup>. ut adipiscar fidei meritum; 4<sup>o</sup>. ut maximam de re certitudinem ac firmitatem acquiram, cum fides divina ex suo motivo præ omni etiam evidentia naturali certior sit. *Prob. 2<sup>am</sup>. D.* Crederetur Deus existere simpliciter, quia existit simpliciter *N.* quia existit dicens *C.* Itaque cognoscetur idem per idem, idem etiam cognosceretur bis, idem cognosceretur prius ac posterius, scilicet sub diverso respectu; quæ omnia nec insolentia nec absurda sunt. *Ad prob. 3<sup>am</sup>. N. Ass.* Cujus falsitas ex ipsa objecti formalis natura detegitur; utpote quod per se et ratione sui attingi debet.

149. *Dico II.* Locutio constitutive pertinens ad objectum formale divinæ fidei complectitur tam *activam* quam *passivam* locutionem.

*Prob.* Locutio constitutiva objecti formalis est locutio verificans hanc propositionem: Deus id loquitur ac testatur; siquidem essentialis tendentia et ratio formalis fidei hanc propositionem includit. Sed locutio verificans hanc propositionem debet complecti utramque locutionem; nam scire tantum signa apta ad rem significandam, eaque velle ponere, est quidem scire modum loquendi ac velle loqui; non autem est loqui, utpote quod ipsam positionem signorum et ad alios transeuntem includit, per quæ audiens ducatur in rei significatæ notitiam; ponere autem signa externa sine directione cognitionis ac determinatione voluntatis illa ordinantis ad audientem, non est proprie formaliter ac rationabiliter loqui; ergo locutio constitutiva objecti formalis utramque complecti debet.

*Conf.* Locutio constitutive pertinens ad fidei objectum illa est, quæ nobis a Scriptura proponitur ut fundamentum nostræ fidei, et de qua ad Hebr. 1. 1. legitur: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio*: sed hæc locutio complectitur tum *internam*, quia non erat materialis duntaxat ac sine cognitione et volitione significandi, tum *externam*, quia *in Prophetis*, ac *Filio*, et, ut Zacharias Luc. 1. 7. ait, *per os sanctorum* est locutus; ergo.

150. *Obj.* Ad objectum formale fidei constituendum debet admitti vel sola locutio activa, a qua res dicta accipit veritatem; et quæ sicut determinat Deum ad loquendum verum, ita audientem determinat ad credendum; et quæ præcise credentem a non credente, fidelem ab infideli discernit: vel sola passiva, quæ est locutio proprie talis, seipsam et objectum manifestans; ergo. *Conf.* Quoties ad loquendum alicui necessaria sunt signa externa, in illis et non in actibus internis consistit locutio; hinc Scriptura assignat pro motivo locutionem, quæ auditur, *Fides ex auditu*. Adhæc fides divina est virtus theologica: sed hujus objectum formale debet esse prædicatum divinum, non autem creatum, qualis est locutio externa; ergo.

*R. N. A.* Nam quoad *primum* nec interna nec externa locutio dat veritatem

rei dictæ, sed eam supponit. Revelatio interna seu activa cum imperet et quasi causet manifestationem externam, cum qua simul constituit propriam et formalem locutionem, Deum tantum inadæquate determinat in ratione locutionis. Distinguitur fidelis ab infideli, discretione tota in eo posita, quod fidelis credat, infidelis non credat, undecumque demum, propter illud complexum, in quo consistit objectum formale *adæquate* sumptum. Quoad *secundum* locutio proprie talis est, quæ secundum id, quod dicit in recto, seipsam et objectum manifestat; et hoc ipso nequit sola *externa* esse locutio formalis, quia hæc in recto signum externum, in obliquo actum internum importat.

*Ad Conf. D. M.* In illis et non in actibus internis consistit locutio materialis et impropria *C.* formalis et propria *N.* Universaliter non credimus alteri etiam auctoritate prædito, quia pure materialiter seu externe dicit, alias quoque illi in somno aut ebrietate loquenti crederemus; sed quia *rationali modo* dicit, et dat signa externa ex directione cognitionis circa eorum significandi aptitudinem et ex ordinatione voluntatis ad significandum per eadem. Scriptura in sensu positivo assignat locutionem, quæ auditur, non in sensu exclusivo. Locutio, de qua Scriptura agit, est locutio *propria* et *rationalis*, hæc autem licet secundum id, quod dicit in obliquo, nempe secundum internam locutionem non audiat, eam tamen a se, quæ in recto sumpta auditur, non excludit. Objectum formale virtutis theologicæ, saltem inadæquatum, debet esse prædicatum divinum; et revelatio conjuncta divinæ auctoritati et ab hac informata, secundum omnes, fit infallibilis.

QUÆRES: *An Revelatio privata pertineat ad objectum formale fidei theologicæ?*

151. *Nota.* Revelatio *privata* seu *singularis* est illa, quæ fit a Deo personæ privatæ de rebus sive ad se sive ad alios pertinentibus, quin tamen ab Ecclesia proponatur credenda: *publica* seu *universalis* ac *Catholica* communiter dicitur, quæ ab Ecclesia proponitur ut credenda. Quæstio mota præcipue versatur circa sufficientiam revelationis privatæ sufficienter propositæ, quia quæcumque revelatio antecedenter ad fidem debet certo saltem credibilis proponi: ex cujus propositionis defectu plures revelationes etiam publicæ, ac expositæ in sacra Scriptura, non creduntur *positive* ac *explicite* fide divina præsertim ab indoctis. THOMISTÆ communiter eam sufficere ad fidem theologicam negant: alii communius affirmant, quam sententiam, ut testatur Catharinus in Apolog. contra Sotum c. ult., P. Laynez acriter contra Sotum, in Tridentino, communi Concilii approbatione, roboravit. Sed alia ex parte oritur hic etiam controversia cum *Hæreticis* tum antiquis tum recentioribus apud HOSIUM L. 1. cont. *Brentium*, et apud BELLARM. L. 3. de Verb. Dej c. 3., qui negabant sufficere pro omnibus ad fidem revelationem publicam, sed exigunt eam fieri unicuique immediate a Deo.

152. *Dico I.* Ad assensum fidei divinæ sufficit revelatio privata, sufficienter proposita, de quacumque materia.

*Prob.* Assensus fidei theologicæ ex suo conceptu essentiali solum exigit, ut sit assensus supernaturalis, liber et obscurus propter Dei loquentis aucto-



ritatem : sed totum hoc haberi potest, ubi revelatio duntaxat privata intercedit ; cum hæc nulli ex memoratis, prædicato repugnet ; ergo.

*Conf. 1.* TRID. sess. 6. c. 12. declarat, neminem posse certo scire, nisi per specialem revelationem, quinam sint a Deo electi ; et Can. 16. definit, neminem certum esse posse certitudine absoluta et infallibili de sua gratia et perseverantia, nisi id ex speciali revelatione didicerit ; ergo supponit privatam revelationem posse conferre certitudinem fidei, hancque ex illa esse possibilem ; cum alias inepta evadit exceptio Concilii, de quo contrarium testatur Catharinus, loco supr. citato.

*Conf. 2.* SCRIPTURA, præsertim ad Hebr. 11., recenset plurimas revelationes factas Patribus V. T., et alibi similes profert B. Virgini, S. Josepho, Zachariæ etc. indicatas ; quas nemo dubitat ad fidem eorum theologiam sufficere : Historia Eccles. addit non pauca exempla de ejusmodi revelationibus privatis, circa prædestinationem, et obitum sanctorum aliasque res plurimas ; quibus fidem abnegare temerarium ac imprudens foret.

153. *Nec dicas 1<sup>o</sup>.* Fides theologica non potest habere aliud fundamentum, quam Apostolorum et Prophetarum, ad Ephes. 2. 20. Sed hoc fundamentum est sola revelatio publica et toti Ecclesiæ facta ; ergo. Hinc etiam S. TH. docet, fidem nostram inniti revelationi, Apostolis ac Prophetis, non autem aliis Doctoribus factæ. *Conf. 1.* S. AUG. pluribus in locis censuit non posse fidem adhiberi nisi revelationibus publicis, seu per Ecclesiam propositis ; hinc L. cont. epist. Fundam. c. 5. *Evangelio*, inquit, *non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Et in ep. 19. ad HIER. (al. 82. n. 3.) : *Solis Scripturarum libris, qui Canonici appellantur, didici hunc honorem (nempe fidei) deferre.* Item in Enchir. c. 9. assertit, fide ea tantum credi, quæ ad religionem communem pertinent. *Conf. 2.* Concilium Lateranense V. Can. 11. prohibet, ne revelationes private prædicentur, nisi ab Ecclesia fuerint approbatæ ; et INNOC. III. c. *Cum ex injuncto.* de Hæret., statuit, ut revelationi speciali fides non adhibeatur, nisi miraculo confirmetur ; ergo judicantur revelationes ejusmodi non sufficere ad fidem.

R. D. M. Fides theologica, ut simul est positive Catholica, nequit habere aliud fundamentum C. præcise ut theologica est N. Omnis quidem fides Catholica est theologica, sed non vice versa. Conveniunt enim in eo, quod utraque nitatur divino testimonio ; atque hoc fidei essenziale ac necessarium est : differunt vero, quod fides theologica præscindat a testimonio Dei publico vel privato ; Catholica autem ut talis nitatur testimonio publico, h. e. vel ad totam Ecclesiam directo vel Ecclesia mediante proposito. Cum vero hæc differentia se habeat duntaxat vel ex parte *subjecti* fidei, vel ex parte *modi* aut *medii* recipiendi revelationem a Deo, eademque maneat ratione divinæ auctoritatis loquentis ; manifeste sequitur, fidem manere substantialiter unam et unitate habitus ac objecti formalis, solamque differentiam esse accidentalem. Apostolus loquitur de doctrina, quam oportet esse publicam in Ecclesia et omnibus ejus membris communem ; S. THOMAS similiter hic loquitur de fide ut Catholica, quod abunde designat tum loco primo, ubi ait : *fides nostra*, nempe communis et omnium fidelium ; supponitque aliis etiam revelationem fieri posse, atque fidem privatam esse possibilem ;

tum aliis locis n. 148. laudatis, ubi propositionis per *Apostolos* aut *Prophetas* factæ non meminit.

*Ad Conf. 1<sup>am</sup>.* R. Similiter D. Censuit non posse adhiberi fidem Catholicam C. præcise theologiam N. Cæterum in *primo* textu S. AUGUST. solum ostendit Ecclesiam esse regulam infallibilem, et medium ordinarium a Deo destinatum ad cognoscendum, quid sit pro Evangelio et Scriptura Canonica recipiendum, Deumque, secundum ordinariam providentiam, de veritate Evangelii per Ecclesiam ejusque auctoritatem, non vero per privatas revelationes instruere, atque hinc, ab illa præscindendo, non dari facile motivum sufficiens credibilitatis. Hoc autem non prohibet, quominus, si S. AUGUST. privatam de Evangelii veritate revelationem habuisset, eadem ad credendum Evangelio moveri potuisset, perinde ac plures Sancti. In *secundo* textu jure negat honorem fidei theologice exhibendum aliis scriptorum quorumcumque auctoribus, cum ipsi verbum Dei non loquantur. In *tertio* autem verba ipsa declarant, sermonem esse de fide Catholica.

*Ad Conf. 2<sup>am</sup>.* R. D. Cons. Indicarunt ejusmodi revelationes non sufficere ad fidem eliciendam ab eo, cui a Deo immediate factæ et sufficienter propositæ sunt N. ad fidem eliciendam ab aliis C. Aliud est adhibere fidem revelationi sibi factæ et satis propositæ, aliud eandem prædicare publice, ac credendam aliis proponere. *Primum* nec prohibetur a Concilio, nec prohiberi potuit : *secundum* merito prohibitum est propter impios et fanaticos, qui revelationem privatam sibi factam mentientes, commenta sua et errores cum præsentii seductionis alienæ periculo venditare solent : atque huic Ecclesiæ præcepto, quod audire a Deo ipso jubemur omnes, est obediendum, neque revelationes privatæ, etiam indubitato factæ a Deo, prædicandæ sunt, nisi prius fuerint ab ea examinatæ et probatæ. Simili ratione intellige INNOCENTIUM.

154. *Nec dicas 2<sup>o</sup>.* Ex thesi asserta sequuntur plura absurda : 1. Assensum revelationi privatæ præstitum pertinere ad donum prophetiæ : 2. Illum, cui revelatio facta et sufficienter proposita est, teneri credere : 3. Non credentem ejusmodi revelationi amittere habitum fidei, imo esse hæreticum : 4. Infidellem, habitu fidei destitutum et reliquis articulis non credentem, posse credere fide theologica, si Deus *privatim* ipsi aliquid revelet.

*Ad 1<sup>am</sup>.* R. N. Seq. Nam prophetia *latissime* sumpta, seu instinctus propheticus, qui a Deo quidem immixtus versatur maxime circa occulta et præsertim futura contingentia, non tamen agnoscitur esse a Deo, aut unde proveniat, aut quis verus sensus sit, satis per hæc manifeste discrepat a *fide* : nec minus prophetia *late* sumpta, quæ est manifestatio rei per actionem quamcumque, etiam a locutione Dei diversam, nempe per scientiam supernaturalem, aut lumen etiam naturale, angelum vel hominem propria auctoritate loquentem data, differt a *fide divina*. Quamvis vero prophetia *strictè* dicta sit manifestatio rei per locutionem divinam Deique auctoritatem interpositam, et hinc assensus illi a Propheta præstitus possit esse actus fidei ; tamen nec omnis actus fidei, etiam in revelatione privata fundate, est cognitio prophetica, utpote quæ, tanquam gratia gratis data, immediate pertinet ad utilitatem aliorum ; nec etiam omnis cognitio prophetica est actus fidei, cum illa possit esse evidens ac frequenter etiam habeat evidentiam in attestante.



Ad 2<sup>am</sup>. R. Illum teneri non discredere revelationi sufficienter propositæ, non tamen teneri eamdem assensu *positivo* ac *elicito* statim credere, nisi interveniret speciale Dei præceptum credendi statim, vel aliquid ex illa exequendi. Hinc, si Sara et Zacharias reprehensi sunt ob tarditatem in credendo revelationi privatæ, id contigit vel ex dicto capite; vel quia aliquo modo discrediderunt; vel quia per se loquendo est positiva imperfectio et veniale peccatum, revelationi hac ratione propositæ non statim credere.

Ad 3<sup>am</sup>. R. C. 1<sup>am</sup>. Seq. Habitus enim fidei, ut ex Trid. Sess. 6. c. 15. liquet, amittitur per infidelitatem positivam: est autem positiva infidelitas dissentire revelationi sufficienter propositæ ex impia voluntate non subjiciendi intellectum in Dei obsequium, ad quam nihil refert, an revelatio publica fuerit, an privata. Itaque negatur, hanc sequelam esse absurdam. Quoad 2<sup>am</sup>. Seq. SANCH., VASQ. et LAYMAN negant ejusmodi infidelem dicendum *hæreticum*, cum talis stricte loquendo sit tantum is, qui pertinaciter negat, quæ proponit Ecclesia; alii cum SUAREZ concedunt illum fore *hæreticum* quoad culpam et in foro Dei, non autem quoad pœnas et in foro externo Ecclesiæ: *primum* quidem; quia ille dissensus contrarie opponitur fidei et quidem cum pertinacia, resistendo revelationi sufficienter propositæ: *secundum*; quia Ecclesia non punit nisi apostatas a sua, h. e. catholica fide. Quod si dissensus ille continet hunc alium: *Prima veritas non est infallibilis*; vel continet solum *interne*, et sic pœnis Ecclesiæ non subjicitur: vel etiam *externe*, prodendo scilicet se non credere revelationi divinæ, et sic erratur etiam in doctrina catholica.

Ad 4<sup>am</sup>. R. D. Infidelis ejusmodi posset credere fide habituali N. fide actuali, ex supposito præsentis auxilii necessarii transeuntis T. quod nego esse absurdum, sicut absurdum non est peccatorem habitu charitatis carentem, sed auxilio transeunte adjutum, elicere actum charitatis. Dixi tamen: *Transeat*; quia *communis sententia* tenet infidelitatem positivam ita opponi assensui fidei, ut dissentiens uni objecto, sufficienter proposita revelatione, non possit assentiri alteri, in sensu composito prioris dissensus; eo quod divina fides importet voluntatem credendi Deo *super omnia* et ut summæ auctoritati in quacumque materia.

135. Dico II. Ad credendum fide theologica non requiritur revelatio privata seu singulis hominibus *immediate* a Deo facta.

Prob. Ex praxi continua, quam in tradenda et propaganda veræ fidei doctrina Deus constanter servavit. Et quidem in V. T. manifestum est revelationes non omnibus promiscue fidelibus, sed paucis Patriarchis et Prophetis *immediate* fuisse factas, ab his vero communicatas deinde aliis: idem patet in præceptis, quæ Deus fideles antiquæ Legis voluit specialiter sibi teneri obstrictos, quæ non omnibus ac singulis, sed certis duntaxat personis a Deo *immediate* proposita sunt, per easdem aliis deinceps promulganda ac tradenda. Hinc angelus de Abrahamo Genes. 18. 19. inquit: *Scio, quod præcepturus sit filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, et faciant judicium et justitiam*; nempe secundum ea, quæ Deus illi *immediate* præceperat. Et Exod. 14. 31. dicitur: *Crediderunt Domino et Moysi servo ejus*; Deo nempe tanquam loquenti *immediate* ad Moysen, Moysi vero tanquam proponenti, quæ a Deo acceperat. Similiter in N. T.

missus est primo Joannes Baptista, *ut testimoniū perhiberet de Lumine*, h. e. de Christo: postea Deus ipse in assumpta carne *immediate* docuit eos, ad quos pervenerat; ad alios autem misit Apostolos juxta Matth. 28. 19. *Euntes ergo docete omnes etc.* Et Act. 1. 8. *Eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ.*

Conf. Si *immediate* ex parte Dei revelatio foret singulis credentibus necessaria, illa etiam sola sufficeret; cum et debitam rationem objecti formalis habeat, et certitudinem etiam nancisci supponatur: sed ex hoc varia absurda atque cum moderna Dei providentia, in Scripturis revelata, pugnantia sequerentur; nempe frustra esse verbum Dei scriptum et traditum, superfluas instructiones per Ecclesiæ ministros, vivam et animatam fidei regulam nullam necessariam, aliaque plura, quibus sublatis, fidei unitas et erga legitimos Pastores obedientia ac subjectio tolleretur, hæreses e contrario ac divisiones innumeræ nascerentur.

Si ais 1<sup>o</sup>. Jerem. 31. 33. dicitur: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam*; ac v. 34. *Non docebit ultra vir proximum suum et frater fratrem suum dicens: Cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me.*

R. Legis Evangelicæ, de qua hic sermo est, promulgandæ quidem sit promissio, quin tamen dicatur singulis *immediate* per Deum vel Christum eam esse revelandam, sed aliquibus *immediate*, aliis *mediate* per Apostolos et eorum Successores, quibus proinde mandatum illud Matth. 28. impositum fuit. Porro Lex hæc dicitur *scribenda in cordibus fidelium*, non per revelationes *immediate* faciendas, sed per interna gratiæ auxilia, quæ externam propositionem et auditum supponunt, tantoque copiosius danda sunt, quanto Lex Christiana præ Lege Mosaica est perfectior. Similiter per verum alium instructio externa, et mysteriorum per Apostolos et Ecclesiæ ministros propositio non excluditur; sed significatur duntaxat, in doctrina Legis Novæ tum discenda tum opere complenda præcipuas fore partes divinæ gratiæ, quam abundantissimam supremus Magister Christus sua nobis morte promeruit, juxta illud 1. ad Cor. 3. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.*

Si ais 2<sup>o</sup>. 1. Joan. 2. dicitur: *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium.*

R. Dicitur hoc esse propter Pseudo-prophetas, significat ipse versu præcedente: *Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos*; quo monentur fideles cavere sibi a doctoribus falsa dogmata spargentibus, et adhærere doctrinæ ab Apostolis traditæ. *Unctionis* autem nomine hic non venit *immediata* revelatio vel rerum credendarum propositio, sed interna illustratio et inspiratio, qua homines excitantur ad ea credenda, quæ per Apostolos et Ecclesiam credenda proponuntur: unde etiam præmiserat Apostolus: *Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat.*